



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Cur sancti apostoli eorumque successores voluerint difficilem esse
accusationem sacerdotum. clxxxiii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

uersa aliquid de episcopatu loqui atque rursus ad hoc
qualibet aspirare præsumptione tentauerit, fraternitatis
vestrae se contra improbitatem ipsius omnino vigor ac-
cendat, atque dominici corporis & sanguinis communio-
ne priuatum, in monasterium eum usque ad diem obitus
sui ad agendum curet pœnitentiam retrudendum: qua-
tenus perpetrat sceleris maculas, dignis discat fletibus
emendare, quas magis in interitu animæ suæ nequiter
augere desiderat. Suprascriptus autem dilectissimus fra-
ter noster Nemesion in suo loco & episcopatus officio
proculdubio reformatur: & ne denuo hac de re inquietu-
dinem ac molestiam patiatur, sollicitos vos esse necesse
est: quia hoc non solum ad huius munitionem, verum etiam
ad aliorum constat emendationem proficere, ut prauoru[m]
hominum præsumptio nihil de cetero contra sacerorum
canonum statuta, vel ecclesiasticam disciplinam ullo mo-
do habeat attentare.

*Cur sancti apostoli eorumque successores voluerint diffi-
cile esse accusationem sacerdotū. Cap. CLXXXIII.*

Talia cogitantes sancti apostoli eorumque successo- *Ex decre.*
res spiritu Dei repleti, malos homines præudentes, *Fabiani*
& simplices considerantes, difficilem aut nuquam volue- *papæ*
runt esse accusationem sacerdotum, ne à malis potuissent *Orientali.*
euerti aut submoueri: quia si hoc facile concederetur se- *episcopis*
cularibus & malis hominibus, aut nullus, aut vix perpau- *misis,*
ci remanerent, quoniam semper fuit & est, & quod peius *cap. 19.*
est nimis viget, ut mali bonos insequātur, & carnales spi-
ritales infestent. Idcirco, ut prædictum est, statuerunt ne
accusarentur, aut si aliter fieri non posset, perdifficilis fie-
ret eorum accusatio, & à quibus, ut supradictum est, non
præsumeretur, neque à proprijs sedibus, aut Ecclesiis epi-
scopi eiicerentur.

*Si episcopus expulsus, ausus fuerit ingredi ciui-
tatem. Cap. CLXXXIV.*

Si episcopus expulsus, ausus fuerit ingredi ciuitatem è *Ex epist.*
qua repulsus est, vel exire de loco in quo degere ius- *Bonifacij*
sus est, iubemus eum in monasterio in alia prouincia con- *papæ, ad*
stituto tradi, vt qui sacerdotio peccauit, degens in mo- *episcopos*
nasterio corrigatur. *Gallie.*